

Thomas Lindemann Johann Volprecht Görtz von


**Dissertatio Iuridico-Politica De Academiis Earumque Immunitatibus Et Privilegiis
: Brevem, & dilucidam, Nobilissimæ, Imperatoris Friderici I. Authenticæ, Habita. C.
Ne Filius Pro Patre, Explicationem exhibens**

Rostochii: Rostochii: Hallervord: Pedanus, 1621

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746840462>

Druck Freier  Zugang






Handwritten text on the spine, possibly a library or collection name, including the word "Biblion".


11-11
30. s. 6.


Fe-1370¹⁻³.

Contenta Voluminis.

- 1) Thomae Lindemanni, *Exercitationes Iustinianee.*
- 2) Christ. Woldenbergii, *Compendium ex Matth. Collei Tract. de Proceſſibus
executivis.*
- 3) Thomae Lindemanni *exegeſis enchiридиi Pomponiani.*
- 4) Vi. Diſp. *de Acaſdemii ſeruiſſis immunitatibus & privilegiis.* ..







Dissertatio
JURIDICO-POLITICA
DE
ACADEMIIS,
EARUMQUE
IMMUNITATIBUS, ET
PRIVILEGIIS.

*Brevem, & dilucidam, Nobilissimam, Imperatoris
FRIDERICI I. Authenticam, Habita. C. N. E.
FILIIUS PRO PATRE,*

Explicationem exhibens:

PUBLICAE
Discutienda proposita
PATROCINIUM SUSCIPIENTE,

AMPLISSIMO, ET CONSULTISSIMO VIRO
DN. THOMA LINDEMANNO,
JURISCO EXIMIO, & IN FLORENTISSIMA ROSTOCHIENSI
Academia Antecessore celeberrimo.

RESPONDENTIS VICES OBEUNTE
JOHANNE VOLPERTO von Schlitz,
genandt von Görtz.

Habebitur In Auditorio magno ad diem 30 Martij horis matutinis.

ROSTOCHII
Prostat apud IOHAN. HALLERVORD. bibliop. Rostoch.
Excudebat JOACH. PEDANUS, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXI.



VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, AC
maximè Strenuis,

DN. SITTICHIO von Berlepsch/
Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Do-
mini, Dn. MAURICII Hassia Landgravij &c.
a Consilij intimo, Avunculo meo magno, per-
petua observantia venerando.

DN. IOHANNI REINHARDO
Mörsbach von Lindensels/

Illustris: Celsissimiq; Principis, & Domini
Dn. GEORGII FRIDERICI Marchionis
Badensis &c. Consiliario dignissimo, & Præ-
fecto in Graben, primario.

DN. CASPARO von Berlepsch
in Grossenbodungen/

*Dnn. cognatis meis multis nominibus honorandis, &
suspiciendis,*

Publicam hanc Dissertationem
Juridico - Historico - Politicam.

Honoris

&

Amoris ergo

Dico & confecro

J. V. B. S. G. B. G.

DE
ACADEMIARUM
ORIGINE, SUCCESSU,
ET CONSERVATIONE.

THESIS I.



Servium Sulpitium à Q. Mutio

Scævola graviter objurgatum & notatum, JCr. Pomponius in l. 2 §. Servius 43. de O. I. scribit, quod patricius, jus Romanum in quo cotidie versaretur, ignoraret. Si verò turpis hæc ignorantia in patricio reputata fuit, acriori certè censura & reprehensione digni erunt cives seu patricij Academici, nisi Academiae, in quibus versantur, quarumq; privilegijs fruuntur, jura pervertant, & cognoscere aveant. Ut itaq; à turpis hujuscemodi ignorantiae nota, nos vindicemus, de Academiae origine, progressu, & conservatione, brevem hanc *επιτηδον* proponere decrevimus.

2. Huic verò disquisitioni causam & occasionem præbet, nobilissima, & aureis, teste Salicero, literis exaranda chrysobulla *Friderici Imperatoris*, AUTHENTICA *Habita. C. Ne filius pro patre*. Codici Justiniano inserta, & inter alias Constitutiones præfulgens & radians Sanctio.

3. Quamvis autem in dictam constitutionem Virorum præclarissimorum commentationes doctissimæ ac uberrimæ extent: tamen cum, uti natura novas formas, ita & secula quævis novas lites & difficultates progignant, nec nobis vicio versum iri confidimus, si & talentuli nobis commissi fœnus aliquot conferamus

mus, & brevem ac succinctam dictæ Authenticæ explicationem exhibeamus, eâq; Paradisum Academicum Iubilæo festo apertum, ulterius adornare studeamus.

4. Authentica namq; hæc Academia originem, materiam, formam, effectus, adeoq; utilitatem, præstantiam, & splendorem, eleganti quasi tabella synoptica depictam, ob oculos ponit.

5. Cum verò ejusq; rei tractatio à definitione inchoanda sit, Academiæ definitionem ex Authenticæ hujus verbis & mente depromptam, hancce proponimus, quod nimirum sit *Academia* (quasi ἄκρα, ἄμυρα seu ab Academo Heroë Atheniensium Platonice scholæ fundatore, dicta), *societas, universitas, docentium & discipulorum, pietatis literarumq; honestarum studia, excellentium, majestatis divinae & humanæ præcepto & indultu, bono publico commode instituta, jurisdictione, privilegijs & potestate, præmia & honores scholasticos conferendi, decorata.*

6. Genus Academiæ constituimus *societatem universalem seu collegium*. Nulla enim inter omnes societates seu *ἐπιπέδες* nobilior, vel laudabilior est, quam Academicorum *Universitas*. Sunt namq; Academici veluti metati, hoc est, ad loca in quibus Academia fundata sunt, missi, ut ibi corpus peculiare faciant, ibiq; doceant & discant: uti & de Assessoribus Cameræ scriptum prodidit *Tilemannus decade 5. vol. 9. n. 3. Gilman. Symph. rom. 1. p. tit. 7. vol. 6. Vndè & Academici metæcis qui in jure appellantur, haud in scitè comparantur arg. l. certa forma. C. de jur. fisci. lib. 10. ibi Alciat. & Cujac. Gulielm. Bndel in l. fin. de senat. Alciat. in l. an. C. non licere habit. metocom.*

7. Originem Academiarum à Majestate Divina meritò deducimus. Iehova enim, post lapsum primorum parentum, in horto Edene seu Paradiso, Academiam, sive societatem piorum primam, aperuit, eiq; Professores, nominis sui cultores præfecit, perq; eos pia doctrinarum studia ad Noam usq; per eundem deinceps, ejusq; posteros continua serie, per Patriarchas, Levitas, Prophetas propagavit, atq; ita seminaria hæc Ecclesiarum & Rerumpub. plantavit, conservavit. *Genes. 2. & 12. vers. 8. & 6. 15. vers. 9. 6. 25. vers. 26. 6. 28. vers. 31. 1. Samuel. 1. vers. 25. & 6. 3. vers. 12. 6. 14. vers. 15. 1. Reg. 18. 2. Reg. 11. 4. Reg. 22. 2. Chron. 30. 31. alijsq; locis.*

8. Maje-

8. Majestatis divinæ in terris Reges & Principes vicarij subordinati, Academiarum auctores, conservatores, & propagatores sunt.

9. Statim enim cum Monarchia prima Assiriorum, Deus Regibus & Principibus studia literarum promovendi & propagandi desiderium instillavit, quorum ope, auxilio, patrocinio, viri semper docti in prelio habiti, per eosq; primis parentibus relictae bonæ mentis scintillulae excitatae, suffocatae auctæ & conservatae sunt: uti fufius in oratione panegyrica lubilæa deduximus.

10. Inter alios verò Reges & Principes *Ninias* Assiriorum, *Cyrus* & *Artaxerxes* Persarum, *Alexander* Græcorum, *Cajus Julius Cæsar*, *Hadrianus*, *Constantinus*, *Theodosius*, *Iustinianus*, *Carolus Magnus*, alijq; Romanorum Imperatores, Scholas & Academias celebres aperuerunt, privilegijs muniverunt, ijsq; Academicam libertatem, Concesserunt, & ab injuria plebis & ἀμύστωρ defenderunt.

11. Verè enim ratione recta ducti, & experientia magistrædocti, statuerunt, Academiarum extructiones & dotationes, felicitatis summæ, & benedictionis divinæ, certū esse testimonium: earundem verò destructiones, imminenti barbariei & ingruentis tyrannidis, certum esse prælagium & indicium. *Corol. Sigon. de Imp. occid. lib. 6. Gregor. Tholof. lib. 6. de Republ. c. 18. in fin. & lib. 18. c. 3. Francisc. Pfeill Consil. 182. n. 10.*

12. Quod experti sunt Græci, à quibus Musæ sedibus suis pulsæ, ad Romanos, & postmodum cum toto occidentali Imperio, ad Germanos transvolarunt, interq; eos *Carolus Magnus*, Patronum potentem & liberalem, invenerunt, ejusq; beneficentiæ & protectione, efflorescere ceperunt.

13. Etsi verò post *Caroli Magni* tempora Mavors Phœbum, & Bellona Minervam oppresserit: tamen bonæ artes, linguarumq; studia, palmæ pressæ instar, oneri velut obnitentes & insurgentes, semper reviguerunt.

14. Sub *Lothario* verò *Saxone*, jus civile multos annos quasi sepultum, è tenebris erutum, operâ Irnerij aliorumq; Ictorum in Academias & tribunalia reductum, excoli cœpit.

15. Tandem *Fridericum I.* Imperator, Oenobarbus dictus, sago

A 3

non.

non minus, quàm toga clarus, literas & literatos sperni cernens,
& ex tali contemptu, barbariem imminuentem, quasi prævidentem,
in Italiam contendens, Roncaliæ, in loco campestri, ad ripam Padi,
comitia indixit, ibidemq; convocatis Imperij proceribus tam
Ecclesiasticis quàm Secularibus, præhabita diligenti & exacta
disquisitione, pragmaticam sanctionem, *Aurb.* Habita, de Aca-
demijs earumq; juribus & privilegijs, promulgavit & Codici Iu-
stiniano inferi iussit.

16. Quamvis autem nonnulli constitutionem prædictam
Friderico II. quidam *Friderico III.* tribuant, nec rationibus desti-
tuantur, cum & ipsi Impp. literarum amantes, & literatorum
patroni eximij extiterint, tamen cum ex historijs constet, *Frideri-
cum I.* Anno 1212, *Fridericum III.* Anno 1414, regnasse, dictam verò
constitutionem Anno 1158, apud Roncalias publicatam esse, Epo-
che subscripta indicet, & eodem tempore *Frider. I.* Comitia ce-
lebrasse, Guntherus notet: ideò veritati historicæ convenien-
tius est, *Fridericum I.* hujus constitutionis Authorem, laudare
& adserere.

17. *Fridericorum* prædictorum memoria meritò in Academijs,
velut sancta, recolitur, siquidem tres hosce *Fridericos* singulari
pietatis zelo, emulatione, ac ambitione laudatissima, Academijs
fovisse, viros præclaros honoribus & præmijs decorasse, ex histo-
riarum monumentis constat.

18. Vndè non sine causa quis mireretur, existere hocce con-
clamato seculo nonnullos politicos novellos, qui *Fridericum III.*
velut osorem & abolitorem dignitatum Academicarum, impri-
mis Doctoralis ordinis, depingere haud erubescant, idq; ex re-
formatione quadam à *Dn. Melchiore Goldasto*, in libro, quem *Reichs-
sagung* indigitat, relata, folio 166. extorquere satagant. Si quis
verò reformationis prædictæ tenorem, & *Dn. Goldasti* mentem re-
ctè dispiciat, is injuriam & Imperatori, & constitutionum Im-
perialium concinnatori, *Goldasto*, fieri, facilè animadvertet.
Quamvis enim is dicto loco referat, Reformationem ejusce mo-
di in Comitijs Moguntinis Anno 1414. fuisse exhibitam, tamen
eam ab Imperij Proceribus probatam esse tantum abest, ut in
subsequentibus Rationalibus suis pag. 312. expressim scribat, di-
ctam

eam reformationem, in conventu quodam civitatum fabrica-
tam, & loco consilij, in dictis Comitij Moguntinis exhibitam,
sed nec ab Imperatore, nec Electoribus approbatam esse. Vti
nec ea reformatio, velut in plurimis capitibus, Imperij statum
penitus evertens, vel certè immutans, probari nullatenus potuit.
Idipsum quoq; exindè evincitur, quod in Constitutione Imperij,
Anno statim sequenti 1442. publicata, dictæ constitutionis nullo
apice mentio fiat. Accedit quod *Fridericus* Academijs complu-
res, & inter alias Moguntinam ac *Griphsvaldensem* aperuerit,
ijsq; potestatem, honores Doctorales conferendi, tribuerit. Vnde
verosimile homini sano videri nequit, eundem Imperatorem
ordinem Doctoralem, quem privilegijs ornavit & auxit, exter-
minatum voluisse. Quin potius constat, sub hujus Imperio li-
teras & literatos eximie floruisse. Inter quos laudantur *Alexan-
der, Imola, Felinus, Mirandula, Agricola, Ioannes de anania* & alij in-
numeri. Deniq; Reformationis dictæ compilatores, ad rabularum
magis causidicinam, quam verum Iurisprudentiæ usum & culturâ,
respexisse, vicia doctorali ordini ab iisdem imposita, ostendunt.
Veris enim ICtis nec Aulas. nec Respubl. carere posse, ipsi satis
agnoverunt, dum eosdem in facultatibus Juridicis, velut univer-
sales promissarios iudices, constituunt, aut sessionem in secre-
terioribus consilij, sine ratione, ex mera æmulatione, invident.
Sed successum invidia non est sortita, perripit scientia, & digni-
tatem in Comitij, in summis Imperij tribunalibus, Principum
aulis & Rerumpublicarum curijs, ita meruit & retinuit, ut pu-
blicis Edictis Imperij, Doctoralis ordo Equestri junctus, & eidem
adæquatus fuerit *Reichsabscheid. Anno 1500. & seq.* Interim nemo
inicias it, uti nullum in vita humana, ita nec Doctoralem ordi-
nem à navis & vicij immunem & exemptum esse. At publicum
testimonium, honorisq; titulus viri cordati affectum & a-
nimum non mutat, nec contemptus Doctoralis ordinis, Con-
temnentem, *Gallico novo*, aut vulgari titulo, superbientem, vel
doctiorem, vel meliorem, aut rebus gerendis idoneiorem reddit.
Vtinam Reformatores novi, Reformationis sæpè dictæ reliqua
capita excuterent, certè in alijs statibus & ordinibus plu-
ra carpenda & suggillanda reperirent. Graviter Carones
ejus-

ejusmodi, redarguit *Philippus* in Oratione de legibus: *Optatum*, inquit, istos censores, qui leges earumq; Doctores & Professores, ob perversos quorundam mores contemunt & culpant, in suis vicijs emendandis tam esse acres, quam sunt in reprehendendis alienis oculati. *Lutherus* quoq; eosdem Doctorum castigat, in Homilia, de informatione Iuventutis, rationibus prægnantissimis refutat, & sine *ICris* nec regna, nec Resp. consistere posse, tradit. Sed quid mirum, Reformatores istos Doctoribus ostracismum distasse, cum ipsum jus Civile ex Imperio Romano expulsam cupiant, adeoq; ipsis Turcis, quos jus civile etiamnum excolere, *Leunclavius* & alij tradunt, peiores & inhumaniores sint. Quod pluribus, ni instituti nostri ratio prohiberet, demonstrare haud esset difficile.

19. Inscritur hæc Sanctio in quibusdam Codicibus Nova Constitutio, in quibusdam Authentica, quasi ex authographo desumpta, vel exemplo aliarum Authenticarum, ab *Irnerio*, Codici insertarum.

20. Hac occasione notandum est, Novellas Iustiniani à *Iuliano* in Epitomen reductas, & latinitate donatas, sed tempore *FridERICI I.* ab alio quodam Iuris Interprete, de verbo ad verbum translata esse. Inde factum, quod distinctionis causa, Iuliani Epitome, Novellarum nomen retinuerit, translatio posterior, licet barbara, Authentici appellationem meruerit. Inde verò deductæ Authenticæ, ab *Irnerio ICto Germano*, Codici insertæ, Authenticæ dici ceperunt. *And. Alciat. 2. parerg. c. 46. Anton. August. in præfat. ad Epitomen Iuliani. Rittershus. ad Novell. constit. c. 1.*

21. Major autem est Auth. hujus, quam aliarum auctoritas, exindè, quod in ea expressè dicatur, eam mandato Cæsaris Codici insertam esse: Cum reliquarum constitutionum insertio, ab *Irnerio*, propria auctoritate procurata fuerit.

22. Inscritur verò Auth. hæc constitutio, *Fidelibus Imperij*. Qua voce designantur omnes Imperij Proceres, Ecclesiastici & Seculares, infini, medioximi, & summi.

23. Quamvis enim vox *fidelis* nonnunquam in significatione stricta ad vasallos referatur, tamen etiam omnes subditos eadem

voce notati, usus cum Latini, tum Teuthonici sermonis ostendit.

24. Undè liquet, esse figmentum quod Cynus docet, Bononienses studiosos *Friderico* supplicasse ac constitutionem hanc impetrasse. Generalis enim est, & ad omnes Imperij subditos directa. Quo ipso ostenditur, nulli statui, etiam eminentissimo, licere privilegijs hisce novis, constitutionibus, consuetudinibus, moribus, vel statutis derogare.

25. Academiarum verò erectiones esse rem præclaram, Regiam, vel exindè apparet, quod *Imp. Fridericus* hanc constitutionem, non ex plenitudinæ potestatis, ut vulgò vocant vel motu solo proprio, sed convocatis Ecclesiasticis & secularibus Imperij statibus omnibusq; sacri Palatij Proceribus, habita diligenti examinatione constitutionem istam promulgavit.

26. Hinc politicum Axioma elicitur: Constitutiones & leges matura prævia deliberatione ferri debere. *l. 1. & 2. de legib.* Quo nomine laudatur maximè à *Lampridio Alexander Severus* quod nunquam leges de jure populi & fisci nullamve aliam constitutionem non advocatis ad minimum 20. Ictis alijsq; viris cordatis, tulerit. Idemq; *Theodosium & Valentinianum* observasse. *l. humanum C. de legib. docet.* Idipsum quoq; de *Friderico* nostro *Gunterus lib. 8. historiar.* de prædicat.

27. Falsum itaq; Cyni dogma est, statuentis, in *d. l. humanum.* Principem in Camera solum legem condere posse, absurdius est Principi ex plenitudine potestatis omnia licere, absurdissimum. Papam omnia jura in scrinio pectoris abscondita habere.

28. Fuerunt autem adhibiti à *Friderico I.* in consilium Episcopi: quo nomine etiam Patriarchæ Archiepiscopi alijsq; Primates continentur. Ex quo denuò resultat problema politicum: Quod quamvis Ecclesiasticæ personæ tam de jure civili, quam Pontificio secularibus negotijs se immiscere prohibeantur, tamè consilij Principum interesse non vetentur, præcipuè, ubi de legibus, honestaq; disciplina agitur. *c. Archiepiscopi X. de rapt. c. non est veri X. de vero. l. 41. C. de Episc. & Clericis. l. 23. C. de restaw. Arnst. in Politic. lib. 1. c. 13.*

29. Quod in tantum procedit ut etiam consilij de criminibus

bus coercendis interesse, citra metum irregularitatis possint. Hodie in plerisque locis à veteri illa humilitate Episcoporum adeò recessum est, ut Episcopi hodierni non audientiam tantum ut olim, sed & Jurisdictionem criminalem exerçant, immò & Principum personas induant: quamvis ab initio etiam aliud in Germania ob servatum fuerit. Nam tempore Caroli Magni in Germania, solus Episcopus Wurtzbergensis specialiter de Ducatu investitus, jus gladii habuit. Vndè proverbium manavit: Herbipolis sola iudicat ense stola, *Munster. Cosmog lib. 3. c. 386.*

31. Inter Episcopos, & Romanus Episcopus olim referebatur: sed is temporum injurià & Imperatorum conniventia vel negligentia, pedetentim non tantum in alios Episcopos, sed & ipsos Imperatores potestatem judicandi, promovendiq; sumpsit: immò *Friderici nostri I. Pontifex, Alexander III.* eò superbiæ devenit, ut Imperatorem pedibus calcavit, & hæc verba, *super aspidem & basiliscum ambulabis*, acclamavit.

32. Quamvis autem sublime hoc jus, Pontifici Romano nullo jure competat; tamen cum ab immemoriali tempore, ac Imp. conniventia jus majestatis & majorum regalium sibi sumpsit, ideò & successores jus Academiæ erigendi, sibi arrogarunt: prout & hanc Academiæ à *Martino V.* primitus institutam esse constat.

33. Vndè rectè concluditur, hodiè Academiæ privilegiorum suorum Authores ipsos Pontifices laudantes, immemoriali temporis præsidio munitas, Imperialibus Academijs æquivalere. Absurda verò quorundam sententia est, Academiæ omnes confirmatione Pontificis egere.

34. Sub Episcoporum nomine in *d. constitut.* etiam comprehenduntur Electores Ecclesiastici, Collegium namq; Electorum, tempore *Ottonis III.* institutum sub *Friderico I.* floruisse, certum est.

35. Secundo loco Abbates quoq; in consilium adhibiti fuerunt, qui erant præfecti monachorum seu Archimandritæ. Quorum ut olim, ita etiamnum magna est dignitas. Complures enim eorum, statibus Imperij annumerantur, & jus territorij seu

seu gladij habent. De Abbate Fuldensi memorabile est, quod is ratione officij perpetuus Imperatricis sit Cancellarius, & Imperatori scribens, eum verbis, *Tua fraternitas*, compellet.

35. Porrò *Cujac. lib. 1. c. 1. feud.* norat, Abbates in historijs nunquam sumi pro nobilibus & magnatibus secularibus, ex eo fortè, quod Principes ijs abbatias & monasteria interdum quo ad tempus vel quo ad viverent, concederent.

36. Tertio loco post Ecclesiasticos, Duces collocantur. Eorum enim ut officium, ita & dignitas primis temporibus secularis & temporalis fuit.

37. Quarto loco Ducibus assidebant Judices, qui comites in libris nostris, & germanicè *Grassen* dicuntur. Quorum dignitas itidem temporalis erat, hodiè perpetua esse cepit, & cum comitatibus concedi solet. Sumitur tamen etiamnum vox *Grasse* in quibusdam Germaniæ locis pro Judice. Unde *Landgraffen / Go-graffen, Buregraffen* appellantur *Andr. Knich. de sublim. jure territ.*

38. Per alios Proceres sacri palatij, Consiliarios, aulæ Magistros, Marechallos, Cancellarios & JCtos, Imperator intelligit. Per hosce enim in Imperatorum & Principum aulis res magnas peractas, & sine eorum consilijs res nullas præclarè gestas, nullas leges conditas fuisse, ex historiarum monumentis liquet, & *ex lib. humanum C. de legibus*, apparet. JCtos namq; ipsi Imperatores amicos appellabant, tutores filijs suis deligebant, immò successores sibi expetebant *l. 4. de Contrah. Empt. l. 2. §. Servius de O. I. l. Divi, de jur. patron.*

39. JCtos autem intelligit non nudos legistas, quos vulgò appellamus, theoreticis tantum quæstiunculis inhaerentes & infenscentes, nec nudos leguleios, vocum præcones, syllabarum aucupes, pecuniarum accipitres, nec nudos Politicos vulgò dictos, judiciariam Jurisprudentiam quam appellant, ex aulis relegantes, novas Respublicas Platonicas somniantes: sed viros pios, publici & privati Juris peritos. Hisce namq; duabus partibus vera Reipub. regendæ scientia, regalium majorum & minorum, Jurium Episcopaliū, & omnium, quæ ad dignitatem status pertinent, cognitio continetur.

40. Hujusmodi JCtos *Iustin. in præmio Instit.* Salutaria Reipub.

organa appellat, hosce velut veros Philosophos, Plato Reges & Rerumpublicarum Rectores optabat. Tales viros laudatissimi Principes consiliarios deligentes & adhibentes, laudabiliter regnarunt: eosdem averfantes, & Politicorum juris ignarorum consilijs se committentes, pacem & tranquillitatem publicam turbarunt, prout omnium ætatum historiæ luculenter contestantur.

41. Ut verò J. Cti genuini à Spurijs dignosci & secerni possent, publicis testimonijs à tempore Augusti Imperatoris honorari ceperunt. Quæ testimonia virtutis nemo unquam, nisi virtutis hostis, sprevit.

42. Tempore quoq; *Friderici I.* præclara Juris fulsere lumina. Irnerius namq; seculum illud attigit, *Bulgarus*, *Gratianus*, *Accursius*, *Hugo* & alij complures, quorum consilijs *Fridericus* usus est, floruerunt.

43. Prædictorum Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Procerum non perfunctoria dissertatione, sed diligenti examinatione ac disquisitione præhabita, Constitutionem hanc *Friderici* latam esse, dum dicit, præcipitantiam quæ *Justitiæ* noverca est, à consilijs arcendam esse, monet, *c. fin. distict. 83.* Cautio verò eò major fuit adhibenda, quod de privilegijs conferendis in hac Nov. ageretur. Quorum collatio cum præjudicialis sit, non nisi ex magna causa concedi debet, *l. jus singulari. de legib.* Undè etiam privilegia Academicarum non passim omnibus Principibus & Civitatibus, sed gravi præhabita deliberatione, & quidem à nullo alio, quam solo Principe seu Imp. eoq; connivente, à Romano Pontifice conceduntur. Ideò Jus Academicarum Regalibus majoribus ossibus Principis in hærentibus, accensetur. *Dd. comm. in c. que sunt regal. & in l. 3. de colleg. Zabarella in Clement. 1. de magistrat. Ferrar. Montan. in d. c. que sunt regal. novissimè Sixtin. de regalib. 1. c. 2. n. 26.*

44. Hinc etiam concluditur, quod privilegiorum Academicarum impertitorum interpretatio, & controversiarum exinde nascentium cognitio & decisio, ad summum Principem seu Imp. pertineat *li Nerarius de R. l. l. ex facto de vulg. & pupill. subst. l. fin. C. de legib. c. inter alia de sentent. excommun. l. pen. de Const. Princip.* Undè & Academicos gravatos, omisso medio Judice ad supremum Imperatoris tribunal provocare posse, communiter concluditur. *hac Auth. Habita. ibiq.*

ibiq; Bald. n. 14. Bologn. n. 15. Vvesemb. de stud. Iuris. q. 19. Horn: Lucius
privilegio. 72.

45. Nullis verò alijs, quam Imperij statibus & Imperialibus civitatibus Academiarum jura conceduntur. arg. S. pen. proem. dige-
storum. Francisc. Wfeill. cons. 182. Singulare itaq; valdè est quod hæc
civitas jus Patronatus in Academiam consecuta sit. Quo ipso glo-
riari potest, se omnibus Germaniæ civitatibus mediatè Imperio
subditis, antestare ac præcellere.

46. Porrò hæc omnia, prout & Authentica hæcce constitu-
tio, de Scholis & Academijs tantum Regijs loquitur. Nam Tri-
viales Scholas aperire, non tantum cuilibet magistratui licet, sed
etiam incumbit. Esaiæ 29. vers. 23. Melanch. in confess. doctrinæ Ecclesiæ
Saxon. & in Explicat. Catecheseos, item in Explicatione symboli Nicæni.
Prout in hanc sententiam Juridica Facultas in contingenti facti spe-
cie senatui Osnaburgensi respondit, uti videre est in Respons. Corhm. 64.
vol. 2.

47. Proæmio hujus Authenticæ absoluto, dispiciendum est
de personis, quibus hæc privilegia Fridericus Imp. indulget. Et
quidem in Genere omnibus viris Javenibus & Senibus, pijs litera-
rum studijs, quibus Deus colitur & mundus beatur, discendo, do-
cendoq; vacantibus, iisdemq; necessarium servitium præstantibus,
privilegia hæcce Academica comperunt.

48. Hæc generali discriptione 1. Studiosi. 2. Professores, Ma-
gistri omnesq; docentes. 3. Ministri & nuntij continentur.

49. Primo autem loco studiosos Imperator collocat, exindè
quod eorum gratia Academia aperiatur. Studiosos autè Scholares,
Italorū more, appellat. Cæterū in libris nostris, maximè in Codice
Scholæ & Scholares pro certis ordinibus ac officijs accipiuntur, ut
videre est in l. fin. C. locati. Nos verò studiosorū appellatione, tanquā
honestiorem magisq; latino, discētes in Academijs, designamus. Quin-
etiā studiosorum nomen, apud veteres Græcos & Romanos adeò no-
bile & augustum erat, ut nō tantum hoc sibi discētes sed etiam do-
cētes usurparent. arg. l. 1. de assessor. l. morā. S. 4. de pæn. l. 4. de var.
& extraord. cogn. l. 52. S. 20. de furt. Cujac. 8. obs. 25.

50. Quamvis autem Imperator in hac Auth. ad studium Juris-
prudentiæ præcipuè respiciat, tamen cum ea sine Theologia, Me-

dicina, Philosophia, alijsq; scientijs in perfectione sua non consistat, ideò omnium facultatum studiosis Academica privilegia competere, adeoq; sanctionem hanc universalem esse, dicendum est.

51. Clerici certè tantum abest hinc excludantur, ut potius Clericorum voce omnes studiosi comprehendantur, & privilegia clericorum studiosis omnibus indulta esse censeantur. *Falgos. in l. qui sub prætextu. C. de SS. Eccles. Thom. Parpal. in l. placet n. 22. C. eod. Horat. Lucius de privil. Scholar. n. 31. & privileg. 2. Decian. consil. 14. vol. 2.*

52. Porrò ut quis studiosus sit & reputetur eum in primis humanioribus literis imbutum, matriculæ inscriptum, juramento magistratui suo obstrictum, adeoq; ritè initiatum esse oportet.

53. An verò præcisè requiratur ut studiosus, qui hinc privilegij potiri vult matricula inscriptus sit, non immeritò quis dubitet? *Quamvis vero pleriq; Doctores hoc asserant: arg. l. ex eo tempore. ibi Bart. in fin. de testam. milit. t. scriuariis. ubi Dd. C. eod. l. matriculam ibi Alexand. & Bart. in fin. C. de agent. in reb. Andr. Geil. t. obs. 21. n. 5. & 9.* tamen cum matricula studiosum non tam faciat, quam esse probet, verius est etiam non inscriptum, nec tamen inscriptionem protervè detrectantem, sed magistratum Academicum agnoscentem pro studioso habendum esse. *Horat. Luc. de privil. Scholar. sub. tit. de his qui gaud. privileg.*

54. Præ icto modo matriculæ inscripti privilegiorum capaces sunt. Insuper tamen in plerisq; Academijs, certus initiationis modus, quem Depositionem vocant introductus est. Illa verò originem ab Atheniensium Academia habet, in qua novitij pallio sophistico induti, in conspectum publicum educebantur, teste *Photio in Bibliotheca.* Et hunc morem Basilij Magnitempore apud Græcos frequentatum fuisse, Nazianzenus *in funebri oratione Divi Basilij* restatur.

55. Tempore Justiniani depositionem istam in scurrilem exagitationem degenerare atq; ideò prohibitam esse, ex proœmio *forum. S. pepule.* apparet. Prohibitionem eandem in Synodis repetitam fuisse constat. Academica quoq; nostra statuta, abusus divexationum istarum, licet hætenus severè interdixerint, tam n vix est, ut ita extirparint, quin subinde repullulent.

56. Jura-

56. Juramento quoq; studiosos magistratui obstrictos esse oportet. *Bald. in Auth. Habita. n. 57. & Barr. n. 358.* De cuius juramenti necessitate, utilitate, ac efficacia in promulgatione legum non ita pridem sententiam nostram plenius aperuimus & Juramento huic nulla posteriora juramenta, quocunq; vitæ genere præstita, derogare posse, demonstravimus. Quæ de re videre licet *Corbm. Resp. 48. academicum.*

57. Quamvis autem Imperator peregrinantibus hæc beneficia nominatim concedat, tamen nec in ipsa patria musis strenuè litantibus eadem adimit. Nec enim concessionis hujus causa sola peregrinatio est, sed inprimis utilitas publica, item varia pericula, quibus studiosi non minus in patria, quam in peregrinis & exoticis locis obnoxij sunt. Accedit, quod studiosi licet in patria morentur tamen cum toti studijs mancipati sint, ratione negotiorum secularium, etiam domi peregrinari, teste Cicerone, dicuntur.

58. Cum verò studiorum causa semetipsos exinanientibus privilegia hæc Imp. concedat, eo ipso desides non in Musarum castris & collegijs militantes, sed in fornicibus & gurgustijs delitescentes vitijs deludascetes, obedientiam omnem excurientes, omnesq; adeo quos vulgò scortistas vocamus, privilegijs istis indignos esse statuit, immò fucos ejusmodi & carcinomata infamia facti laborare, *las. in l. 1. C. de SS. Eccles. & Nevizantz. in spha nupt. num. 24. tradit.*

59. Quamvis autem hujusmodi pestes meritò exterminentur, non tamen ipso facto, quo ad Jurisdictionem Academicam studiosi esse desinunt, sed prævia causæ cognitione, ut membra putrida refecari, ex matricula deleri & ex Academia relegari debent. Quo facto studiosi esse desinunt *c. ex literis. x. de constit. arg. l. scribarios. C. de testam. milit. arg. Nov. 69. verbo, subjacent. Bald. in auth. qua in Provincia C. ubi de crimin. agi oport. Abbas in c. fin. v. 11. x. de foro comper. Cozzarum. practic. observ. c. 11. Roland. à Valle Consil. 24. vol. 1. Fapia in l. fin. p. 1. c. 5. n. 14. de Constit. Princip.*

60. An verò si per quinquennium Academici absint, statim pro desertoribus reputandi, privilegijsq; academicis privandi sint, quæri solet? Id à plerisq; affirmari video *arg. l. 1. C. de Commeatu. l. gen. C. de consulib. l. 1. C. de primicer. Barr. in l. aut. facta S. tempus. de peni.*

panis, Ludovic. Roman. sing. 233. Per. Rebuff. privit. 35. Bald. in Auth. no-
stra. Cup ner. ibidem in §. queritar.

61. Traditio tamen hæcæ limitationem pati viderur in eo, qui non studia deserendi, sed excolendi intentionem, eoq; animo ex Academijs discessit, ut instructor aliquando revertatur. In eo namq; casu ratio dictarum legum cessat. *Rebuff. d. privileg. 35. num. 2. Oldendorp. de prescript. & Usucap. n. 13. Vvesenb. de stud. jur. quest. 19.* Accedit quod argumentum opinionis prædictæ à separatis deductum, adeoq; minus firmum & concludens sit.

62. Secundo loco Professores, utpote studiosorum causa delectos & constitutos Imperator privilegijs decorat. Quamvis autem inter Professores Antecessores Juris imprimis honoratos voluerit, utpote sine quibus nec Regna nec Respub. gubernari posse scivit, immò hi tantum Doctorum titulis maximè gaudeant & fulgeant. *Ias. in s. 1. de Jurisd. Panorm. in c. 3. X. de magistr. tamen & Professorum nomine, Medicos & Philosophos contineri verius est.* Per sacras enim & divinas leges, inprimis Decalogi præcepta, & ex ijs veluti fontibus deprompta jura civilia intelligi, extra dubium est. Medicos itidem huc referimus, utpote quibus humana societas carere nequit. Sub JCris quoq; Philosophos complectimur, immò eos propriè veros philosophos dici cum JCris *in l. 1. de l. & 1.* asseruimus. Ideò & Philosophos Professorum numero contineri putamus. *l. 6. 7. & fin. C. de profess. & medic. Non Obst. l. 4. §. 1. de var. & extraord. Cognit.* Quod enim Medici ibi à reliquis Professoribus utpote Rhetoribus, Geometris, & similibus distinguantur, ideò pertinet, quod Philosophis de salarijs, uti & JCris jus non dicatur, cum eorum Scientia sanctior sit, quam ut pretio nummario æstimari vel pensari possit: immò quod Professorum proprium sit, pecuniam spernere *arg. l. 1. de excusat. iur.*

63. Professores autem quales esse debeant, describitur in *l. magistras C. de profess. & medic. in l. un. C. de stud. lib. urb. Rom. l. un. C. de Profess. in urb. Constant.* Et quidem requiritur in ijs, ut bonis moribus & facundia præditi & ab ordine probati sint. Quæ singula persequi super sedemus, cum id ipsum non ita pridem Lantius *in tract. de Academ. præstiterit.*

64. An verò Expectativis locus in Academijs esse possit, discussit nuper *Matth. Steph. in tract. de Academ.* 65. Pro-

65. Professorum quoq; numero & loco habemus, non tantum publicè à Patronis Academiæ constitutos, sed & eos qui Academiæ, cujus membra sunt, nominis celebritate, vitæ honestate, practicis atq; theoreticis exercitijs illustrant atq; exornant. *argr. l. medicos C. de Profess. & med. Accurs. in l. jubemus. in verb. sumptibus. C. de Advocat. divers. jud. Natta Consil. 25. in fin. Schurf. Consil. 24. n. 5. & 6. cent. 3. Cothm. Resp. Academ. 14. n. 44.*

66. Tertio loco succedunt nuntij & servitores Academiæ. Hos verò intelligimus, quorum ministerio ad studiorum promotionem, & negotiorum expeditionem, Academiæ & Academici commodè carere nequeunt. Hi enim omnes privilegijs Authent. facce comprehensis, donantur. *Odosred. in l. 2. n. 4. Bald. ibid. n. 3. & C. de Episc. & Cler. Rebuff. privileg. 136. Menoch. de arbit. l. d. quest. casu 336. Schurf. consil. 94. n. 5. & 6. cont. 3.*

67. Sub hisce nuntijs Academicorum familiam, conjuges, liberos, ancillasq; *l. medicos. 6. l. fin. C. de Professor. l. fin. C. de Injur. non tamen fratres, parentes vel sorores, (nisi forsan nuntiorum vices subeant) argr. l. 18. §. 1. de iudic. comprehendimus.*

68. Prædictis hisce omnibus personis in locis jure Academico privilegiatis, ex singulari pietatis officio, securitas tribuitur. Loca autem certa dum Imp. determinat, non passim & quovis loco studentibus ac degentibus literatis, sed in Academijs velut ad id destinatis alylis, Musis Themidive litantibus, privilegia hæcce competere innuit. Deus ipse Prophetarum scholis loca tuta & excelsa, ab injuria vulgi immunita assignavit. *Num. 35. Iosue 6. 21. n. 31. Samuel 10. αἱ τοιαῦτα ἐλάθησαν*, Græcos quoq; loca ab injuria vulgi secuta Musis concessisse & adornasse legimus. Romani quoq; legibus latis sollicitè caverunt, ne extra collegia studijs cōsecrata quoquam in loco scientiæ docerentur. *Gell. noct. Alric. lib. 15. c. 11. l. un. C. de stud. lib. urb. Rom. §. hæc autem tria in Constit. de jur. decend. 741.*

69. Undè meritò statuitur, Academiæ sine Imperatoris aut Regis jus majestatis habentis, autoritate apertas, jus plenum & legitimum Universitatis non habere, nisi quatenus id præscriptio-
ne, transactione aut tacito Imperatoris assensu acquisiverint. Undè
C & Lei-

& Leidenſi Uniuerſitati ſtatus quæſtionem moram eſſe *Baud. c. 1. a*
Epif. notat. Befold. 1. polit. c. 11. lib. 3.

70. Hinc ſi loca in quibus Academiae inſtitutæ ſunt, excom-
municationis vel proſcriptionis fulmine percutiantur, ſecuritate
ſublata migrare tenentur. *c. privilegium de R. 1. in 6. Innocent. in c. gra-*
des X. de ſenten. Excom. Gall. 2. de pac. publ. c. 9. n. 27. Quodipſum
experta eſt hæc Academia tempore Concilij Baſilienſis.

71. Porro in his locis privilegiatis, non quævis collegia, ſed
probata, privilegijs hiſce gaudent. Unde Patavinæ & Pariſienſi
Academiae, Jeſuitarum Collegijs, privilegia hæc non compe-
tere, Cremonenſe Philoſopho & Molinæo Jcto cauſas agentibus,
adferuerunt.

72. Securitas hæc, quam dixi, ſtudioſis complura privile-
gia tribuit, de quibus paulo poſt diſpiciemus.

73. Proinde progreditur *Fridericus*, ac ipſam ſanc-
tionem, quam tamen antequam promulget, gravibus quibusdam præmiſſis
cauſis impulſivis, munit. Quamvis enim Seneca præmia legum
lationibus hæc non convenire autumat, & ob id Platonis leges præſa-
tionibus ornatas ridiculas eſſe cenſeat: tamen cum hæc Conſtitu-
tio ſingularium & nota alium privilegiorum conſeſſionem conti-
neat, & ad eam ſine magna cauſa non deveniatur, ideo rationes
prægnantes inferendas duxit.

74. Quarum prima eſt. Quod Academici bona faciant, & ob
id laudem & protectionem imperialem mereantur. Quoipſo
Jctos & Philoſophos practicos, non leguleios, rabulas, vel etiam
juri tantum excolendo deditos, ſed juris publici & privati pariter
peritos, intelligere innuit. Bipertitum enim ut Jus ipſum eſt, ita
Juris Doctore quicumque eſt, dicere vult, utriuſque juris ſcientiam
habere eamque in honorem Dei & utilitatem publicam exercere
debet.

75. Vehementer namque errant, qui Jcti munus anguſtiſſimis
privatarum conventionum, finium regundorum, familiarum erci-
ſcundarum, ſimilibusque terminis circumſcribunt. Nullus un-
quam Jctus excellit, quin juris publici artem, qua rectè gerenda
Reipublicæ peritia continetur, accuratè didiciſſet. *Cicero 1. de Ora-*
toe, Jurisprudentiæ tantum particulam deſcribit. Eundem ſecuti
Zaba-

Zabarella & Piccolominius Jurisprudentiam tantum Judicariam depingunt.

76. Ex hoc erroris fonte, *Novellorum Policorum* iniqua censura, qua ICri, utpote litibus tantum dijudicandis destinati & nati, à Rerumpubl. gubernatione arcentur, promanat. Ast certè latius se diffundit ICri veri officium, utpote quòd statum Reip. primario, deinde privatam utilitatem respicit. Hinc Iustinianus Codicem suum à jure publico orditur & claudit, eoq; ipso primam & postremam curam, in publico jure rectè discendo & excolendo, collocandam esse ostendit. Undè Albert. Bologneris Cardinalis *in lib. de lege & equit.* ait: Jurisprudentiam continere in se moralem & politicam Philosophiam, nec quenquam esse ICrum, qui non sit moralis Philosophus & politicus.

77. Hujusmodi ICros Imperator ait, bona facere, idq; faciendo mundum illuminare. Ut enim Iustitia ab Aristotele Hespero lucidior, ita & ejusdem veri sacerdotes lumina in hoc mundi axe corruscantia, ignorantia iniquitatis & injustitia tenebras dispellentia à Iustiano jurisq; Interpp. dicuntur, Illustres, Excessi, Iustitia Sacerdotes, defensores luminosa candelæ, ac radiantia sydera passim appellantur. *l. 2. §. juris civilis. de O. l. c. 1. X de magistr. l. 1. C. de offic. civ. jud. l. restituenda. in princ. C. de Advocat. divers. jud. Bart. in l. 1. C. eod.* Hinc & Innerio ICro, qui ætatem Friderici nostri, Bartholo qui Caroli IV. tempora attingit, titulum Lucernæ, *Odofred. ad l. jus civile. de l. & l. Cajac. 12. obs. 17.* Accursio juris lampadis Encomium tributum fuit, & Iason, non minus apud Deum ICros mereri, quam verbi divini præcones *in l. 1. v. 8. de l. & l. Baldus in l. si quis. C. de postulando.* aiunt.

78. Quin & in jure nostro per 20. annos Ius docentes, comitativa dignitate decorantur *l. 1. C. de profess. qui in urb. Constantinop.* Quam legem, licet nonnulli, inter quos Lanfius est, restringendam putent ad Professores Urbis Constantinopol. tamen cum ratio d. leg. generalis sit, non inconvenienter dici potest, eandem generaliter accipiendum esse. *Bart. in proæmio Cod. & in d. l. un. Benius de privileg. ICrorum privileg. 14. Tiber. Decian. Consil. 129. n. 52. vol. 3. Menoch. de arb. lud. quest. cas. 68. n. 54. vide noviss. Dominic. Arum. 2. vol. discurs. A. eadem. discurs. 4.*

79. Meritò autem totum mundum ICTi illuminare dicuntur: cum nulla pars orbis sit, ad quam non Iustitiæ, ejusq; Sacerdotum splendor pertingat. Unde & Clavius testatur etiam adhuc in ipsa Græcia licet barbarie Turcica mirum in modum obscurata, jus civile & maximè Codicem Iustinianæum doceri & observari. Et quamvis Ferdinandus Hispaniarum Rex detecto & subacto novo orbe, eò ICTos non esse ablegandos, persuasus fuerit, tamen Carolus V. expertus, sola militari disciplina sine lege certa, judiciorumq; constituto ordine istam gentem non posse gubernari, Petrum Gascam eò sedandæ seditionis & judiciorum ordinandorum causa misit: qui spartam sibi commissam laudabiliter exornavit. *Gomex. de reb. gest. Francisc. Ximenij lib. 8. Fr. Lopez. lib. 5. hist. Genr. ind. c. 68. Thuan. lib. 1. histor.*

80. Cum verò ICTos lucere & coruscare oporteat, consequitur Doctores lucifugos, solo titulo superbientes, bulla sola tumentes, nil præclari agentes, vel solam rabulariam caufidicinam exercentes, hisce privilegijs indignos esse. Idq; exindè quoq; apparet, quod ICTi hic tales describantur, qui homines ad obediendum Deo & hominibus informant. Undè elicitur ICTis veris incumbere ut actiones & consilia sua præceptis decalogi, quæ in obedientia erga Deum & Magistratum consistunt conforment.

81. Proindè enim ICTi honos & dignitas mundum totum illuminet, vana meherculè quondam agitata & subindè repetita quæstio est: An dignitas Doctoralis sive nobilitas scientiæ, nobilitate innatam ac ingentam obscurat? Cerrè si primam originem Jurisprudentiæ respicias, eam à Dijs hominibus non vilibus, sed Regibus & viris ut *Modestinus ait l. 2. de O. l. principalibus*, nobilibus scilicet, concessam, per eosq; propagatam fuisse, ex historiarum monumentis evincitur. Omnes namq; fermè juris Interpp. à Pomponio in *d. l. 2. relati*, nobili genere prognati fuere, prout ex historijs *Æliæ*, *Papiriæ*, *Cassiæ*, *Fabiæ*, & similibus familiarum, constat. Et quidem de hac quæstione plura videre licet, apud *Francisc. Pfeill conf. 95.*

82. Ex libris quoq; nostris constat, militem togatum cum armato pari passu ambulare, & bona in utraq; militia acquisita, æquali jure

li jure censerit *posthumum §. nam Divi de injust. rupt. l. à Titio de V. O. l. fin. C. de Edict. Divi Hadr. toll.* Hinc & in Imperio Romano politicis Constitutionibus Maximiliani, Caroli V. & Ferdinandi, Doctores Equitibus associantur: Prout latius hæc persequitur *Pfcell d. conf.*

83. Addit deinceps Fridericus causis utilitatis, eminentiæ & necessitatis, difficultatum plures rationes, & Primò, quidem studiosos voluntarium exilium subire ait. Amore namq; scientiæ, Acadèmicis quasvis Charybdes ac syrtes transfretant, uti exempla plurima *Plin. lib. 30. c. 1.* de Empedocle, Pytagora & Platone refert. Et de Apollonio philosopho *D. Hieron. ad Paulin.* scribit: quod is discendi desiderio Caucasum montem transierit, Scythicas, Indicasq; gentes penetrarit, & prison amne trajecto, ad Hiarcham, Gymnosophistarum Principem properarit. Talis quoq; fuit Hermodorus, qui in *l. 2. de O. l.* celebratur.

84. Insuper cum peregrinationes sumptus exposcant, studiosos de divitibus pauperes fieri *Imp.* ait. Tantus enim ardor & amor scientiæ est, ut bonorum curam vincat. Undè Diogenem, dona Alexandri respuisse, Cratetem Thebanum, Democritum, & similes Philosophos pecuniam abieciisse legimus: & veros philosophos *Modestinus* definit eos, qui pecunias ac divitias spernunt, h. e. divitiarum amore, avocari se à sapientiæ studio non sinunt. Horum philosophorum magnam raritatem esse *Modestinus in l. 6. de excusar. tut.* rectè ait.

85. Deniq; & Jurisprudèntia nostra sublimior est, quam ut precio nummario aestimari queat *l. i. §. proinde de var. & extraord. cogn.* Sed objiciat mihi hic aliquis vulgatum axioma; Leges neminem in paupertate finire vivere. Quod quamvis per se æquum sit, & ex *Nov. 1. §. fin.* deduci soleat, tamen Iustiniani mentem eò in dicta *Novella* directam non fuisse, contextus ipsi ostendit: verba namq; finalia *d. Nov.* non ad Jurisprudèntiam in genere, sed ad sanctionem illius *Nov.* respiciunt, quæ in quemcunq; eventum testatorum voluntatibus effectum tribuendò, non finit testamento honoratos vivos, relictis in testamento defraudari, nec mortuos in anxietate mori.

86. Cum verò tanta tamq; sublimis res sit Jurisprudèntia, idè rectè ait *Frider. Imp.* Eam laudes, i. e. honores & protectionem h. e. privi-

privilegia mereri. Virtutum namq; præmia, benemeritis tribus
jura postulant. *l. fin. C. de tyron l. un. C. de Castr. omn. palat. pecul. l. 3.
C. de prox. sacror. scrip. l. i. C. de Atbl. l. fin. C. de stat. & imagin.*

87. Inter alia verò præmia tribuuntur Academicis honores
Doctorales, Licentiæ, Magisterij & Baccalaurij. De quorum
originibus, progressibus, ritibus & dignitatibus, vide *Middendorp.
lib. i. de Acad. c. 13.* Hoc verò imprimis hîc notatum velim, quod
Augustus Imperat. Ictis jus civitatis Romanæ, quod ipsa nobilitate
illustrius erat, concessit, & ab eodem Imp. dignitas & potestas
de jure respondendi processerit, eaq; ab Hadriano confirmata, à
Constantino, Carolo Magno, Ottone II. Lothario Saxone & Fri-
derico nostro primò aucta, à Pontifice Clemente V. item concilio
Constantiensi & Basiliensi in usum reducta & privilegijs donata
fit.

88. Unde & Principes Germaniæ complures, & inter alios
Joannes Theologus Dux Megapolitanus, Hermannus Hassiæ Land-
gravius, Richovinus Dux Lotharingiæ, nec non duo Egmondani,
Principes & Comites ab *Hohenstein* / aliq; innumeri honores aca-
demicos non fastidiverunt. Certè ut apud Romanos ita & apud
Germanos nobilissimi quiq; Doctoralibus mitris decorari volue-
runt. Primus in Germania Decretalium Doctor *Burch.* à *Mann-
genfeld* salutatus dicitur. *Aventin. lib. 8. annal. Bavaric.* primum Juris
Utriusq; in Germania Doctorem nobilem Leopoldum à *Beben-
burg* nominat, quem innumeri alij generis nobilitate clari, secuti
sunt; quos peculiari oratione recensuit *Kirchnerus* & Illustrissimus
Princeps *Augustus* Dux Brunovicenf. & *Luneburgensis*, &c. paluda-
mento Rectoratus Academiæ *Tubingensis* clarus, illustri Panegyri
commendavit.

89. Cum verò literarum studia, ijsq; debiti honores plerumq;
invidiam, æmulationem, cum hominum magnorum, tum vilium
injurias, ac persecutiones comites habere soleant, ideo Imp. pro-
tectionem singularem hæc Auth. docentibus, ac discipulis, pro-
mittit, & privilegia insignia iisdem concedit & indulget.

90. Quamvis autem eorum complura ab Interpretibus, &
quidem ab *Rebuffo 180.* ab *Horatio Lucio 100.* referantur, ea tamen Imp.
hæc Auth. ad tria membra præcipua seu Cardinalia redigit. *Primo*
Salvam

*Primo
Alex. a*

Salvam Guardiam, seu liberum accessum Academicis tribuit. Secundo Injuriam verbalem & realem ab Academicis repellit. Tertio Jurisdictione propria Academiis munit & stabilit. Deniq; & horum privilegiorum violatores gravissimis pœnis coeret.

91. Ad horum trium privilegiorum Classes, omnes immunitates Academicis competentes, referri possunt. Salva namq; guardia, seu salvus conductus, qui his verbis Chrysobullæ hujus, *veniant* &c. promittitur, libertatem & exemptionem Academicis à vectigalibus, pedagijs, portorijs, similibusq; exactionibus præstat. Quamvis enim non desint, qui id ipsum hac constitutione expressè cautum non esse, autument, tamen cum Imperatori propositum fuerit, liberum comiteatum præstare, is vero ejusmodi impositionibus impediatur, ideo ab iisdem Academicos, hujus Authenticæ argumento, liberos pronunciamus, ejusdemq; privilegij confirmandi causa, rationes, ex jure civili petitas, libenter admittimus. *arg. l. Universi. C. de vectig. l. 6. C. de Profess. Rosenth. de feud. p. 1. c. 5. conclus. 47. Sixtin. de Regal. c. 6. lib. 2. Petr. Frid. de Mandat. lib. 2. c. 42. Horat. Lucius privil. 54.*

92. Salva hæc Guardia generalis est, & non accessum tantum, sed & discessum ac emigrationem præbet liberam, omnemq; bonis & personis injici solitam remover remiliginem *l. 4. de vac. mun. l. qui nituntur. d. fin. ex quib. caus. major. c. 2. X. de reug. & pace. c. statutum 11. §. proferendo X. de rescript. l. 3. C. de navic. Rebuff. privileg. 152. Corbm. conf. Acad. 19.* Experiuntur tamen studiosi peregrinantes, etiamnum verum esse, illud zenonis: *πλέοντα πέντε εἰσιν ὁ παρὰ γὰρ,* qui Academicis Authenticam hanc allegantibus, imperitè, *Horatio Lucio teste privileg. 15.* respondere consueverunt: *håbita ubi vis, & solve quod debes.*

93. Ex hoc salvæ Guardie principio, secundum profuit nobile privilegium exemptio nimirum à Repressalijs, aliarumq; detentionum speciebus. Cujus privilegij respectu *Auth. hæc Tit. Cod. Ne filius pro patre.* inserta est. Etsi enim *ἀνδραποδία* apud Græcos, Clarigationes apud Latinos, Repressaliæ apud Italos, jus Marche apud Gallos Saxam̄ta & arrestationes apud Germano certis casibus licita sint, & etiamnum in quibusda locis usurpentur, ut videre est apud *Jacob. de Casib. & Laudens de Repressal. Geil. de pignor. Hoig. l. 9. 12. Thol. syntag. lib. 38.*

6. 8. *Petr. Frider. de Procèsib. lib. 4. c. 46. & 48. memb. 2. & 3.* tamen cum hujusmodi derentiones liberum com meatum impediunt, ideo Imp. eas exerceri aduersus Academicos verat.

94. Tertium huic affine privilegium, non quidem verbis expressum, sed ex statuentis mente communiter introductum est, quod nimirum, uti personarum Academicarum, ita & bonorum & maximè suppellectilis, Academicæ derentiones prohibeantur: ideo nec arrestis innodari, nec legalis hypothecæ nexu licet inuestæ & illata in domos & habitationes conductas sint, implicari bona studiosorum censeantur, *arg. l. nepos Proculo. de V. S. Ang. & las. in §. item serviana. l. de Actio. nec fideicommissi onere graventur. Horat. Lucius privileg. 17.*

95. Porro ad securitatis privilegium pro quinto perinet, quies & secessio. Ideo vicini quietem Academicam clamoribus vel fectoribus turbantes, proprijs ædibus ab Academicis expelli possunt. *Bart. in l. 1. solut. matrim. Ioan. de Platea. in l. 2. C. qui arate. lib. 10. Quod ipsum Rebuff. in Academia Pessulana à se practicum esse privileg. 3. gloriatur.*

96. Sextò, hinc dicitur privilegium, quod licet nemo inuitus habitationes suas locare cogatur *l. si cum Hermes. l. inuitos. C. locati.* tamen favore studiorum domini ad locationem & securam stationem cogi queant. *Bart. Bald. Alexand. & las. in l. 1. solut. matrim. arg. C. quem admodum. de Iurejur. Rebuff. privileg. 7. & 8.*

97. Ad securitatis privilegium pro septimo quoq; refertur, quod studiosus delinquens, regulariter, nisi in criminibus exceptis, extrahi ex collegijs non possit nec debeat. *Clar. 5. quest. 30. numer. 25.* adeò ut violans collegium, committat sacrilegium *Bald. hic Horat. Luc. privileg. 51. & 76.*

98. Deniq; licet studiosi in locis, in quibus degunt, nec incolæ nec cives sint, tamen si quid ejusdem loci civibus privilegij competat, id quoq; studiosis ibidem studiorum causa morantibus, tributum intelligitur *l. 2. C. de incol. lic. 20. Horat. Luc. privileg. 9.*

99. Secundum privilegium cardinale est, ne quis injuriam Academicis ullo modo inferre ausr. Quamvis enim injuria in genere prohibita sit, tamen in Academicis vindicta ejusdem singularis, maximeq; privilegiata est. Ideò Imp. peculiariter, ne injuria

injuria Academicis inferatur, ad evidentiore[m] magisq[ue] enixam
protectionis Academicæ demonstrationem, hæc Authentica cave-
re voluit. Idq[ue] in legibus nostris frequens est, ut nimirum in ge-
nere constituta, in specie quoq[ue] notetur. *l. si quis mihi §. sed utrum.
de acquir. hered. l. 15. §. 20. de injur.*

100. Singulare verò est circa vindictam injuriæ Academicæ
illatæ, quod Magistratus secularis, qui in hac Authentica per Re-
ctorem loci intelligitur ex officio in Injuriâ afficientes inquirere,
teneatur. Quod merito pro privilegio reputandum, cum alias in
delictis privatis nullo accusatore existente, inquisitioni locus
non sit. *l. 2. §. si publico. ibi Gloss. ad l. Tul. de adult. Horat. Luc. priv. 82.*

101. Quod verò de injuria Fridericus Imp. constituit, hoc de
ea intelligit, quæ sine jure & sine culpa propria Academico infer-
tur. *arg. l. quod quis. de R. l. & l. 4. ad L. Aquil.* Ideò si studiosus locis
& temporibus prohibitis armatus, aut militari veste judutus, di-
scursitet, & ob id damnum ferat, id hac lege non vindicatur, sed
talis, qualis deprehenditur, judicatur. *Parorm. in c. fin.
n. 19. X. de for. comp. Gloss. in l. 2. verb. à Iudice. C. ubi quis decurio. arg. l.
item apud. §. si quis virgines. de injur. Coler. de process. executiv. lib. 2. c. 3.
n. 167.* Hinc arguitur, magistratum politicum in defensione ac
protectione Academicorum, Magistratui Academico, brachio se-
culari succurrere teneri, idq[ue] si requisitus non faciat, graviter de-
linquere, & severè puniendum, immò excommunicandum venire
*arg. l. Episcopale. C. de Episcopali audient. Nov. 134. c. si verò §. Clementin.
pastor. §. nos quoq[ue] X. de sent. & re judic. c. 1. §. contrahentes. de for. Comp.
Gail. 1. obs. 56. & 115. Ioann. Tilem. Constit. Imp. paralip. pag. 14.*

102. Tertium privilegium cardinale seu principale hæc Au-
thentica Academicis indultum, in propria & peculiari Jurisdic-
tione consistit. Parum namq[ue] esset privilegia hæc concedi, nisi
constituti essent Judices, quorum beneficio & ope, ijs frui liceret.
arg. l. 2. §. 13. de O. l. Ut itaq[ue] Academia ipsa sunt Collegia seu me-
tœcia, in certis locis constituta, à foro seculari separata, & di-
stincta: ita & peculiari Jurisdictione sunt munita. Quæ Jurisdi-
ctio in personas Academicas exercetur, immò & territorij quod-
dam jus tribuere videtur: quamvis & Jurisdictionem Academi-
cam, uti & quamcunq[ue] aliam sine territorio subsistere Interpp. sta-
tuant,

tant, nec facile, ut opinor, quisquam inficiari aufit. Unde nec Academicum vel ratione Incolatus, nisi quatenus transactum est, magistratum secularem agnoscere coguntur, immo nonnullarum Academicarum privilegia eod usque extendunt, ut studiosis alibi delinquentibus, vel contrahentibus, ad magistratum suum provocandis competat, ut de Lugdunensi *Donel. 17. comm. 6. 20.* testatur & de Coloniensi, constat.

103. Judices autem seu magistratus Academici hae Auth. diversi exprimentur, & inter eos Academicis conventis optio datur Judicis, coram quo comparere quisque velit. Quod ut recte intelligatur, notandum est, tempore Justiniani Jurisdictionem Academicam, Legum Doctoribus quidem fuisse tributam, sed, cum primis istis Academicarum cunabulis professorum potestas debiliior esset, Justin. Imp. adjunxit ijs in Urbe Constantinopolitana Praefectum Urbis, in Urbe Beritensi, Praesidem Phoeniciae. Uti apparet ex *Cosit. Iustin. de jur. docendi rar. sub fin.*

104. Fridericus autem Imp. Academiae successu temporis, auspicijs felicibus, Caroli Magni ejusque successorum auctoritate ac potentate, auctis, Jurisdictionem plenioram, peculiaremque, Judices concessit, nimirum, *Dominos & Magistros, nec non civitatis Episcopos;* Quae verba Authenticae uti generalia, ita & obscuriora apparent, ideo elucidationis indiga sunt. *Domini* nomen generale est, quo summi Principes olim notabantur, immo id adeo sublimem reputabatur, ut titulum istum Div. Augustus, veluti ambitiosum, respiceret, teste *Suetonio*.

105. Unde nonnulli per *Dominum* hoc loco ipsum Principem, vel loci, in quo Academiae sunt, Magistratum superiorem intelligunt: ut ita non privative, sed cumulative concessa haec Jurisdictione censeatur. Alij sub verbo *Domini*, Academiae Rectorem, comprehendendi putant. Quorum opinio licet moribus nostris consentanea sit *Iul. Clar. praxi crim. §. fin. q. 35.* tamen vix est id textui hujus Auth. ut conveniat. Nam Friderici I. Imp. tempore Rectores Academicarum tales, quales nunc sunt, fuisse, nullibi literis proditum extat.

106. Rectius itaque & verius statuunt, qui sub voce *Domini & Magistri* Professores ipsos intelligunt. Hosce namque promiscue & re-

& rectè Dominos Doctores & Magistros appellari constat. *arg. l. Neseñius ff. ad L. Falcid. l. si adib. ff. de darn. inf. l. qualem. ff. de recept. arbit. Panorm. in c. 1. X. de magist.* Undè & in statutis veteribus, magistrorum nomen, veluti generalius, ita usurpatur, ut omnes Doctores ambitu suo complectatur.

107. Episcopus quoq; loci, ordinarius Judex Academicorum erat, utpote cum major Academicorum pars clericis constaret, & ob id etiam clericorum jure & privilegijs Academici usi & gavisii sint.

108. Potestas autem seu Jurisdictio hæcæ præceptoribus, Dominis seu Magistris hac Authentica tributa, licet nulla expressa lege contraria, ipsis adempta vel imminuta sit, tamen recepta omnium Academiarum consuetudine, eò hodiè decursum immò idipsum quoq; plerarumq; Academiarum diplomatibus probatum est, ut Professores vel soli, ut in Germania, vel cum studiosis, ut in Italia & Hispania, Rectorem Universitatis eligant & constituent, eumq; velut Principem suum, venerentur ac colant.

109. Hujus Rectoris sublimis potestas, scepris, quæ ei in signum Regiæ seu Cæsariæ concessionis præferuntur, designatur. Hunc Rectorem Dominum & Magistratū ordinarium civēs Acadēmici agnoscunt non tantum, sed & eidem se parituros, juratò promittunt. Ideò nec ejus Jurisdictionem quocunq; modo declinare, nec alium magistratum eligere, salva fide juratà possunt. *c. ego. extr. de jurejur. c. diligenti. extr. de præscriptionib. arg. l. certi, C. de iurid. omn. Indic. C. ubi. hac Auth. §. verum Vult. ad tit. Cod. de iurid. n. 128. & 68. Quamvis autem Bald. n. 58. Salicet n. 23. Rebuff. in verbis: quibus hanc. Donell. n. 26. & Gilken. sub fin. ad hanc Auth. arg. l. fin. de iuridic. l. 1. c. de præfecto Annon. & similibus, statuunt, etiam hodiè Dnn. Professores ex hac Authentica, Jurisdictionem in studiosos sibi arrogare posse, tamen vix est, in modernis Academijs, id ut admittatur.*

110. Episcopi verò, nec hodiè iudices immediati studiosorum sunt, sed in nonnullis locis, Cancellariatum Academicum sustinent, conferendi gradus, & secundæ Instantiæ jura habent.

111. Qualis verò sit Jurisdictio, quæ hac Authentica magistratui Academico tribuitur, quaq; is utitur hodiè, ancipiti Marte inter Juris Interpp. controversatur. Multi namq; cum veterum,

tum Neotericorum Doctorum, existimant, Fridericum Imp. tantummodo causarum civilium, & delictorum privatorum cognitionem & coercitionem, magistratui Academico concessisse. Idq; satis probabiliter *Luc. de Penna de privil. Scholer. Richard. hoc loco Muscorn. de Iurisd. n. 76. Heig. 2. lib. 9. n. Donell. 17. Comm. 6. 20.* alijq; complures satis probabiliter arguunt. Quorum etiam sententia in Jurisdictione, Domino seu magistro, hac Auth. tributa, veri speciem habet.

112. Verum enimvero, si intentionem Imp. accuratius consideremus, fateri cogimur, eam eò directam esse, ut Scholares, à Jurisdictione Judicum secularium, sæpè numero literis ac literatis iniquiorum, eximantur, & ab injurijs tam verbalibus, quam realibus defendantur.

113. Cum itaq; in causis injuriarum & delictis gravioribus, ex quibus actiones criminales plerumq; oriri solent, majori periculo, quàm in causis civilibus, Academici expositi sint, ideo Imp. in earundè cognitionibus, & decisionibus, peculiare ac privilegiatum forum, & Judicium, constituere, ac sanctionem hanc pragmaticam, de eo quod *ἡ δὲ τὴν ἐπιείκειαν* contingere solet, ferre voluisse; censendus est. Si enim de causis studiosorum in negotijs obularibus, Imp. Judici seculari Jurisdictionem in studiosos concedere nolit, multò certè minus, eidem cognitionem de capite, vita & fama eorundem, cognitionem committere voluit; *l. fin. C. de agent. in reb.* utpote; cum ubi periculum majus, ibi & auxilium parentius & efficacius requiratur. *l. 1. §. 3. verba igitur. de ven. infic. l. fin. C. de probat.*

114. Idq; secundo exindè vel magis apparet, quod Jurisdictionem concessam Imp. nullo modo limitet, vel restringat, sed omnium litium & negotiorum dijudicationem, magistratui Academico tribuat. Vox enim *litis* uti & verbum, *negoria*, non civiles tantum, sed & criminales causas, ambitu suo complectitur. *arg. l. litis de V. S. ibid. Goed. & Cujac. l. in criminalibus. C. de Iurisd. l. 15. §. si propter. ff. ad Scr. Turpil. l. antepen. de accusat. ff. l. transigere. C. de trans.*

115. Idipsum quoq; Clericorum, quibus Scholares comparantur, exemptio confirmat. Ea etenim non ad civiles tantum, sed & criminales causas, refertur. *c. clericis. X. de Indic. c. non ab homine. Xi. eod.*

116. Acce-

116. Accedit, quod Justin. Imp. ante Fridericum r. in *Constitutione* sua, de iur. docendi ratione, Professoribus potestatem in genere, coercendi studiosos, concesserit. Quæ animadversio & Jurisdictio cum generalis sit, & in specie magistratui Academico, certis legibus detur, ideò tam ad criminales, quam civiles causas extenditur. arg. l. 1. de offi. ejus cui mand. est jurisd.

117. Huc quoq; facit, quòd studiosi militibus æquiparentur. l. advocati. C. de Advoc. divers. iud. Ast hi peculiarem magistratum, in omnibus, tam civilibus, quam criminalibus causis, habent. l. 3. de re milit. l. fin. de accus. arg. l. de militib. de Custod. & exhib. recor.

118. Et hæc hodiernis moribus eò magis procedunt, cum constet, omnem Jurisdictionem Academicam, quæ olim & Præfectis Urbi, & Præsilibus provinciarum, & Episcopis, & magistris, sive præceptoribus, competeat, in ipsum Rectorem Academicum translata esse, eumq; ob id hodiè Magistratum Academicum, ordinarium censerit. Bart. Salices. & Comm. Dd. in Auth. Habita. Philipp. Decius in l. Imp. 38. de iurisdic. Schrad. de Feud. part. 1. sect. 3. n. 83. Pact. ad d. Auth. c. 9. n. 13. Gisebere. de recon. 1. c. 12. n. 14.

119. Deniq; huic sententiæ veluti favorabiliori, communis Dd. opinio, & plerarumq; Academiarum Europeanarum jura & observantia, adstipulantur, ut latè ac eleganter deduxit post alios, Cothm. Resp. Academ. 1.

120. Leviculae sunt rationes quæ contra moveri solent. Quod enim à Synagogis Judæorum, & Academijs Græcorum, & Gymnasijs variarum Gentium, Jurisdictione destitutis, adduci solet, id arguendi vix nullam habet: cum constet, initium vile & exile, sæpè habere solere magnum incrementum. In quaestione verò hacce nostra, cardo in eo vertitur, anne Frid. Imp. in Auth. Habita. Academijs jure meri Imperij donare voluerit? id verò ex mente ac sententia Imperatoris jam probavimus.

121. Nec verò Episcopi nominatio, meri Imperij exercitium excludit, cum constet, Episcopos quoq; tempore Frid. Imp. criminales causas dijudicasse, eodemq; jure etiamnum per Germaniam hodiè Episcopos gaudere. c. cum non ab homine. ibi Alciat. X. de judic. c. fin. X. ne Cleric. vel Monach. Sic etiam apud Romanos ipsi quoq; confu-

Consules, Censores, & Tribuni, Pontifices Maximi erant: ut de Publio Licinio, Posthumio Albino, de Marco Aemilio, & Lepido, restantur, *Halicarnas. lib. 2. Tholof. lib. 47. c. 24. Aered. rer. judicat. lib. 1. c. 2. tit. 4.* Immo hodiè maxima pars Monarchiæ ultimæ, Episcopis & Archiepiscopis regitur.

122. Non itidem advenfatur, quod Jurisdictionem tantum Imp. concedat, sub qua merum Imperium regulariter non venit. Nam non solum simplicem Jurisdictionem, sed omnem potestatem, cognoscendi, & coercendi, specialiter Imp. hac Authentica indulget, immò tempore Friderici Imp. regulariter omnibus magistratibus ordinarijs, Jurisdictio omnimoda magistratus jure compete-
bat.

123. Nec verò quicquam huc facit, quod vulgò dici solet, *re- rum omnem dignitatem tollere. l. un. C. de crim.* Nam licet studiosi delinquendo privilegijs se indignos reddant, *fori* tamen privilegi- um ob id non amittunt, ut sup. dictum.

124. Proinde potestati Rectoriæ, nec territorium, nec lictorum, nec apparitorum defectus, quicquam detrahit. Jurisdictio namq; non territorium, sed personas respicit, nec ex terra à Judice possessa, sed ex potestate Judici concessa, aestima- tur. Nec verò in lictorum funibus, numellis vel securibus, sed in potestate, in causis criminalibus absolvendi, & condemnan- di, effectus criminalis Jurisdictionis, & meri Imperij, consistit. *Bald. in l. si quis filium. §. irritum. de injusto rupt. irrit. Longevall. ad l. 3. de iurisd. Hostiens. in c. cum contingat. X. de ser. Comp. Vtes. conf. 9. n. 5. Petrus Damaisius. de mero imp. Menoch. de presump. lib. 3. c. 97.*

125. Difficere tamen non possumus, Jurisdictionem hanc Academicam plurimis in locis, temporum injuria valdè esse im- minutam. Undè hodiè omnes in genere Academici, eodè & pari jure cenferi nequeunt, cum privilegia singularum Academia- rum, non tam Authentica hac, quam ex foundationum Bullis, & transactionum normis, aestimari videamus. Vix tamen est, ut ulla Academia vera, etiam hodiè reperiatur, quæ non aliquas particel- las, meri Imperij ad minimum habeat. Et certè si politici magi- stratus clementis, pacifici, Musisq; faventis potestas, cum Jurisdi-
ctione

atione Academica concurrat, & pari conatu, literas, literatosq; promovere, innocentes defendere studeat, pulchra hinc duarum Jurisdictionum coalescentium harmonia enascitur, qua pax & tranquillitas conservatur, & quilibet intra officij sui meras continetur.

126. Proinde, studiosi privilegium hoc habent, quamdiu in Academia morantur. Nam extra Academiam delinquentes, regulariter jus provocandi, (nisi ad hoc speciatim Academia privilegiata sint) non habent. *l. 1. ubi Senat. l. 2. C. de priv. Schol.* quia delinquens, ratione delicti forum fortitur. Quod etiam in legatis, quibus cum studiosi comparari solent, obtinet. *l. 2 ff de judic.* Idem procedit, si alibi contraxerint: quo tamen casu, si in loco contractus, studiosus forum declinet, certè æquum est, ut de contractu, etiam alibi inito, coram suo magistratu respondeat.

127. Ex Jurisdictione promanat immunitas à muneribus personalibus. Illa enim non nisi seculari magistratui subjectis, imponi possunt. *l. Sancimus. C. de advocat. divers. jud. Natta Conf. 65.* nisi forsam suam professionem deserant, & penitus Laicam vitam, & negotiationibus se dedendo, deligant. *l. sub pretextu. C. de SS. Eccles. Tancred. in l. 2. C. de Episc. & Cler. Felin. in c. cum accessisset. extr. de Constit. Coler. de process. Executiv. p. 2. c. 3. n. 137.* Si tamen Professores per ministros vel conjuges tantum negotientur, ipsi verò Academicis laboribus vacent, non protinus per omnia privilegij Academicis se indignos reddunt, prout *Resp. Academ. 14. & 21. ab Ernesto Corhman.* probatur.

128. An verò etiam in muneribus patrimonialibus Academici immunitatem habeant, inter omnes non convenit? quibusdam simpliciter Academicos eximentibus, per *l. medicos. C. de Profess. Matth. Stephan. de Academ. s. 19. n. 16.* Quorum opinio, licet probabilis & favorabilis sit, tamen vix est, ut in exactionibus, ipsis immobilibus rebus Magistratus Secularis Jurisdictioni obnoxijis inhaerentibus, obtineat. *Heig. 1. q. 17. n. 21.*

129. Et hæcce sunt iura præcipua hæc Authenticà privilegia expressim concessa. Sunt verò alia plura, quorum nonnulla ex verbis, quædam ex tacita Imperatoris mente, Academici sibi vendicant. Inter quæ non postremum est, quod Imperator Constitutionem hanc

Hanc, pietati beneficium, Scholares pauperes, exules, miserabiles, peregrinantes appellat. Ex quibus verbis Doctores arguunt. Academicorum jura pijs causis accenseri, & piarum causarum, Ecclesiarum, Xenodochiorum, peregrinorum, pauperum & miserabilium personarum privilegijs gaudere.

130. Undè conclusiones & decisiones complures inducunt, & statuunt, I. Donationem studiorum causa inter patrem & filium, maritum & conjugem, etiam sine insinuatione subsistere. *arg. l. 1. ff. solut. matrim. Rebuff. privileg. 64.* II. Legatum etiam incertum, Academicis, earumq; alumnis, relictum, sine ulla Falcidiae deductione valere. *arg. l. cum dotem. ff. ad L. Falcid. Rebuff. privileg. 133. & seq.* III. Scholares protopraxias jure, mulierum instar gaudere. *arg. l. 1. solut. matrim. Reauff. privileg. 145.* IV. Salariorum præstationes nulla compensationis exceptione innodari. *arg. l. 2. §. taceat. C. de Rei uxov. act. V.* Impensas in studia etiam indebite collocatas, non condici. *arg. l. cum ù §. mulier. ff. de condict. indeb. Gloss. in l. que pater ff. famil. erciscund. Rebuff. privileg. 55. & seq.* nec in familiae Eriscundae judicium venire. *l. 2. C. si cert. per. Rebuff. privileg. 59.* VI. Parentes adversus creditum studiorum causa exceptione S^CTi non juvari. *l. sed Iulianus. §. proinde ff. ad S^CT. Macedon.* VII. Absentiam studiorum, perinde ac Reip. causa, restitutionem in integrum generare. *Rebuff. privil. 31.* VIII, Studiosis non minus ac viduis, Orphanis, & similibus personis, beneficium seu privilegium statim ad summi Principis tribunal appellant, concedi potestatem. *l. un. C. quand. Imp. int. pupill. vel vid.* Alia privilegia à *Rebuffo & Lucio* collecta sunt, quò studiosos remittimus.

131. Et quidem de præmijs ac privilegijs hactenus. Cum, verò præmijs ac privilegijs hisce frui vix liceat, nisi & poenæ in privilegiorum violatores constituentur, ideo ipsam Sanctionem Imp. adijcit, eamq; duplicis poenæ irrogatione, communit & firmat.

132. Prima autem poena constituitur in eòs, qui quacunq; ratione studiosis injuriam vel damnum inferunt, vel etiam in Magistratu constituti, injuriam Academicis illatam non vindicant. Poena hæc est restitutio rerum ablatarum in quadruplum, simul & infamiae irrogatio, ac dignitatis sive cinguli privatio.

133. Altera poena constituitur, in Jurisdictionis Academicæ violatores, qui scholares ad peregrinum Judicem pertraxerint, vel

vel pertrahere attentarint. Nam quamvis in alijs delictis conatus solus non puniatur. l. 1. §. fin. quod quisq; juris. l. qui falsam. C. ad L. Corn. de fals. tamen uti in quibusdam atrocissimis criminibus. l. qui quis C. ad L. Jul. Majest. l. signis. C. de Episc. & Cler. ira & in violatione Jurisdictionis Academicæ etiã conatus impeditur. Quod tamen ita accipiendum est, ut Conatus actui proximus accesserit, & ad minimum citatio extracta sit, & citanti de privilegio citati constet: nam alias conatus ab ignorante vel penitente tentatus, nocere eidem nequit.

134. Dum autem Imp. ait, ejusmodi aliquid tentantem, à tali conamine cadere, non intelligit tantum Instantiæ vel termini circumductionem, uti Rebuffus opinatur, sed ipsam causæ amissionem. arg. l. in criminali. C. de luris.

135. Cessat tamen hæc pœna in pupillis, viduis, similibusve miserabilibus personis, utpote, quibus etiam studiosos ad supremum magistratum evocare licet. arg. l. un. C. quando Imp. int. pupill. arg. l. si apud. 12. de minor.

136. Sed, quid si rota Academia ex contractu vel delicto convenienda sit, ubi ea sortiarur forum, non immeritò quæritur? Et quidē Imp. exemplo Solonis, Parricidis pœnam nō distantis, indecissimam hanc quæstionē relinquit, existimans, forfan, Academiis rectè faciendõ occasionem litibus nullis daturas. Sit tamen casus ejusmodi eveniat, is pro diversitate jurium Academicorum, vel ab Episcopis vel Principibus jus Episcopale & patronatus habentibus, vel deniq; à Summo Principe, discutiendus & decidendus veniret. Sichard. hic.

Errata typographica potiora.

Thef. 3. lin. 5. leg. aliquod. sb. 11. lin. 7. leg. Conf. 197 sb. 18. lin. 18. leg. ullatenus lin. 34. leg. compromissarios. sb. 22. lin. 3. leg. infimi. sb. 24. lin. 4. leg. Statui. sb. 43. lin. 7. leg. præjudicialis. thef. 45. lin. 3. leg. conf. 197. sb. 54. lin. 1. leg. prædicto. sb. 55. lin. 5. leg. tamen. sb. 87. lin. 2. Baccalurei. sb. 88. lin. ansepen. leg. Augustus. sb. 92. lin. 3. leg. remeligitnem. sb. 130. lin. ansepen. leg. appellandi. Alia quoq; inter excudendum vitia quadam irreperunt, quæ singula Lecter benevolus haud difficulter corrigere poterit,

E

AD



AD

GENEROSUM ET NOBILISS.

IAN-VOLPERTUM von Schütz
genandt von Görk /

*Academicum in Rosarium Academiâ de Academijs
progymnasium exhibentem.*

Quid Schola quaesitus, quid sitve Academia, quidam,
Quid nisi terrestris sit Paradisus, ait.
Vox caelo demissa, cedro vox digna notari!
Pinxisset Genium vix magis ulla Scholæ.
Stat Paradisiacis Academicus æmulus hortis:
Hortus, & Elysium provocat omne nemus.
Arbor in hoc vitæ, qui fixus in arbore vitam.
Restituit, latus pandit ubiq; comas.
Arbor in hoc, cujus rectumq; malumq; comestu:
Scire datur, medio statq; viretq; loco.
Non interdictis tamen hæc stat turgida pomis:
Et licet, & fas est, & juvat inde frui.
Inde frui, in privos cujusvis commodatusus:
Et quoq; publicitas commodat, inde frui.
Ah quam seps stygius vigil hos ante excubat hortos,
Aversum huc cupidos se penetrare pedes!
Quam velit in sputo fructus corrumpere tabo,
Carptorem in præfens & trahere exitium!
(Adspice sis geminum dispersa Lycæa per orbem,
Quæq; licent Erebo dispice, quæq; Deo.)
Quam velit everfis per dira sua organa Athenis,
Nequitia ludum substituisse suæ!

Jova:

Jova vetat. Res nempé Dei est Academia: Quicquid
Styx fremat atra, suum Jova tuetur opus.
Res te digna igitur, generose, ACADEMIA, Ephæbe,
Splendorem ingenij cui face concilies.
Næ! tibi pro tali non deérunt præmia dono,
In Musas gratis non datur esse pium.
Quam sua laus doctis super est mansura Lycæis,
Tàm tibi victurum est nomen honosq; diu.

scrib.

JUSTUS ZINZERLING
7. u. D.

Non tantos ventura olim despondet honores
Fama tibi, ob stantes antiqua per atria curvus
Majorum, & tabulâ longè deducta capaci
Stemmata Gortziadum, rumpendaq; marmora ficu,
Quantum te Themidi sanctæ sociatus Apollo
Extollit, Virtusq; fero non invida Marti:
Qua præbente manum merito te Gloria cælo.
Clarabit, pennâq; feret metnente resolvi.

Nobiliss. ac Doctiss. Dn. Resp.
Obf. causâ f.

JO. LAUREMBERGIUS D.

Alte aut Marte Virum Juvenem clarescere laus est
Inclita, nobilibus qui benè cretus ayis.
Verna juventutis non quivis tempora Marti
Mancipat, haud Arris quisquis amore calet.
Ast tu nobilium Juvenum flos atq; medulla,
Stirpis & eximæ fulgida stellæ tuæ;

E 2


Vide-


Viledecus censes clarescere Marte, vel Arte;
Marte, ac Arte simul perpolis usq; caput.
Salaidi nuper scandebas pulpita Fani,
Publicitus gnare publica jura docens.
Nunc etiam intrepidus tu Balchica pulpita scandis,
Magnifico nostra Diribitore Rosa.
Et Martis te cura coquit, dum perpete nisu
Mentem exercitijs perpolis omnigenis.
Seu celerem quis equum novit compefcere freno,
Seu dare quis tardo frena peritus equo,
Seu modo directo libeat contendere cursu,
Seu celer in gyros ire coactus equus:
Aut si quis saltu docili sua membra caballo
Ante, retro, aut alia subijcere arte sciat.
Vel si luctari libeat mucrone corusco;
Ducereve omnigenos qualibet arte choros.
His tu nobilibus reliquis sublimior anteis
Marte, ac Arte simul nobilis esse cluens.
Macte isthoc genio? asportabit honorifer ales
Munera Gazophylax stemmate digna tuo.


*Honoris & amoris ergo Nobiliss. Dn. Resp. amico
percharo applaudebat*


*WILHELMUS BRUNER
Salcatenâ VVestph.*

















116. Accedit, quod Justin. Imp. ante Frider
sus, de iur. docendi ratione, Professoribus potest
cendi studiosos, concesserit. Quæ animad
cum generalis sit, & in specie magistratui Ac
bus detur, ideo tam ad criminales, quam civ
arg. l. 1. de offi. ejus cui mand. est jurisd.

117. Huc quoq; facit, quod studiosi mi
li. advocati. C. de Advoc. divers. Iud. Ast hi pecul
in omnibus, tam civilibus, quam crimina
l. 3. de re milit. l. fin. de accus. arg. l. de militib
reor.

118. Et hæc hodiernis moribus eo magis
ffet, omnem Jurisdictionem Academicam,
Urbi, & Præsidibus provinciarum, & Ep
sive præceptoribus, competeat, in ipsum Re
translatam esse, eumq; ob id hodiè Magist
ordinarium censerit. Bart. Salicet. & Comm. Dd
Decius in l. Imp. 38. de iurisdic. Schrad. de Feud. pa
d. Auth. c. 9. n. 13. Gisebert. de recon. l. c. 12. n. 14

119. Deniq; huic sententiæ veluti fav
Dd. opinio, & plerarumq; Academiarum E
servantia, ad stipulantur, ut latè ac elegan
Cothm. Resp. Academ. 1.

120. Leviculæ sunt rationes quæ contra
enim à Synagogis Judæorum, & Academi
nastis variarum Gentium, Jurisdictione d
id arguendi vim nullam habet: cum conste
sæpè habere solere magnum incrementum.
hacce nostra, cardo in eo vertitur, anne Frid.
Academijs jure meri Imperij donare volu
ac sententia Imperatoris jam probavimus.

121. Nec verò Episcopi nominatio, m
excludit, cum constet, Episcopos quoq; ter
nales causas dijudicasse, eodemq; jure etia
hodiè Episcopos gaudere. c. cum non ab hom
c. fin. X. ne Cleric. vel Monach. Sic etiam ap
D 3

itatione
, coer
dictio
is legi
nditur.

rentur.
atum,
nabent.
exhibit.

in con
zfectis
agistris,
emicum
icum,
Philipp.
Pacl. ad

munis
a & ob
st alios,

Quod
& Gym
ci solet,
& exile,
ne verò
Habita
x mente

ercitium
p. crimi
maniam
de judic.
si quoq;
confu-

